

solent non multum curent, ex his enim nihil vel parum utilitatis sperandum est; hujus moniti rationem explicavimus in Logica.

III. Pro duplici proprietatum genere duplex est physica pars. Alia est physica *generalis*, quae universales corporum proprietates considerat, alia autem est physica *particularis*, quae certas duntaxat corporum species expendit. Ex hac divisione patet amplissimum esse physicae campum & ad omnes fere scientias naturales extendi. Quia vero tam multa scire datum non est mortalibus, pro temporis brevitate & humani ingenii limitatione, vastissimum illud argumentum intra justos limites coercere solent cultiores physici. Itaque in physica generali explicabimus universales corporum proprietates; deinde ad physicam particularem gradum facientes eas primum considerabimus praecipuas corporum species, quae per experimenta nobis innotescunt, & tandem ad remotiora corpora assurgemus, quae observationibus quidem, non autem experimentis subjici possunt. Sed haec generatim dicta sunt de physices divisione; singula enim hujus divisionis capita suo ordine deinde rursus dividemus & explicabimus.

IV. Physica sive generalis sive particularis vel est *experimentalis* vel *theoretica*. Physica experimentalis ea est, quae corporum proprietates & effectus, experimentorum atque observationum ope ostendit. Physica autem theoretica ea dicitur, quae non solum experimenta & observationes adhibet, sed iis etiam ad inveniendos vel explicandos